

F. 8
De constituta.
enda in furo
simplici cor
poris delicti
constitutio.



46

Q V A E D A M
DE
**CONSTITVENDA IN FVRTO SIMPLICI
CORPORIS DELICTI CERTITVDINE.**

CAROLO SALOMONI ZACHARIAE

LL. AA. M. E. IVR. VTR. CANDIDATO

V I R O

CLARISSIMO, CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO,

COGNATO LONGE AESTVMATISSIMO
FAVTORI ATQVE AMICO HONORATISSIMO

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

IN ACADEMIA VITE BERGENSI

D. X X X. M. I V L. C I C I O C C X C V.

RITE CAPESENTI

EX ANIMO GRATVLATVRVS

S C R I P S I T

F. E.



L I P S I A E
EX OFFICINA SOMMERIA.

МАСЛАЧО
Д
СОЛНЦЕВИДА ИН ЛИВИ
СОЛНЦЕВИДА ИН ЛИВИ

САМОДИЛ САХАНОИ САЛОМОН

quae absumuntur. Etiamq; nuptiis et auctoritate ecclesie auctoritate
matrimonii habentur. Quod si quis deinceps sibi a cunctis
rebus auctoritate eis non auctoritate ecclesie auctoritate
nudat oīam eis quae non habet auctoritate ecclesie auctoritate
sive auctoritate sacerdotum sive auctoritate ecclesie auctoritate
magistrorum et auctoritate magistrorum et auctoritate ecclesie auctoritate

In tanta morum perversitate, qua plerique, licet optimis legum
praesidiis coerciti, in vetitum nituntur, mirum profecto non est,
uti aliis delictis, ita in primis furto nihil in civitate esse frequen-
tius. Sceleratus quippe habendi amor animos eorum ita occu-
pat, vt, coeca quadam cupiditate abrepti, quid reipublicae,
quid aliorum, quid ipsorum adeo salus suadeat, non videant,
sed pericula quaeque susciper e audeant, dummodo eo, quod
oculis emensi fuerant, potiantur lucro. Cuius consequendi
gratia, nonnulli eo progrediuntur audaciae, vt, si alia via ad
finem propositum tendere ipsis non liceat, consilio violentiae
adhibendae capto, ne hominum vitae quidem parcant. Qua
de re hoc furtum ob periculum cum eo conjunctum *periculosi*
et *qualificati* nomine recte insignitur ¹⁾). Quoniam vero cuius-
vis maleficii quantitatem effectu, quem in societatem civilem
habet, meliora iuris publici universalis principia metiri jubent

¹⁾ Notio furti qualificati in Nemesi Carol. art. 159. exhibita in Saxonia
Electoralis paululum est immutata. Hic enim triplex, quo furtum qualifica-
tum fieri potest, fingitur casus. efr. die geh. Instr. de ann. 1783. §. 1. no. a.

atque ex his ipsis, varia delictorum genera constituenda esse, luculenter apparet; ²⁾ in definienda furti qualificati poena, quippe in quo praeter dominium, vita in primis aliorum et libertas in discrimen vocatur, cum *delictum majus alforbeat minus*, rei furto ablatae ejusque pretii non adeo magna ratio haberri potest. Longe vero alia res sese habet in furto *simplici*. In quo cum deficiant, quae furtum qualificatum circumstant, eiusque turpitudinem mirum in modum augent, ac lucrum inscio domino artibus clandestinis quaeratur, corporis delicti certitudo aliunde, nimirum ex ipsa, quae ablata fuerat, re peti debet. Igitur cum, uti in omni delicto, ita in furto simplici, si corpus delicti incertum est, fur ordinaria poena adfici nequeat, capita nonnulla, quibus ad hancce certitudinem perveniri soleat, pro virium tenuitate paucis ac breviter sum expositurus.

Constat inter omnes furti simplicis poenam secundum rei clam surreptae pretium definiendam esse.³⁾ Quod vt fieri possit, solent plerumque adhiberi, quibus valoris aestimatio committitur. Qua de re, vt quodam ordine procedam, *primum* de iis, quae circa pretii constitutionem monenda videntur, his-

²⁾ cfr. Stübels System des allgemeinen peinlichen Rechts n. s. w. Band 1. Haupst. 1, Leipz. 1791. ³⁾ Nemes. Carol. art. 160. Const. El. 32. P. 4. et quamvis apud nos furti simplicis poena capitalis sublata sit, ergastulum tamen secundum id, quod statuitur pretium, furi irrogatur. cfr. Geh. Instr. d. 1783. §. 2.

que breviter enarratis, *deinde* de personis, a quibus et quomodo aestimatio exigitur, agam.

Jam iure Quiritum, quo laesus poenam, tanquam ex delicto privato sibi debitam persequebatur, ad pretium rei furtivae respectum fuisse, *actio furti* et *condictio furtiva* satis demonstrant. In priori enim actione praeter simplicem rei persequutionem in furto manifesto, quadruplum, in nec manifesto duplum laesis a fure erat praestandum⁴⁾. Sed haec ipsa quadrupli duplive poena, si ab ipso domino actio instituta fuerat, secundum rei amotae pretium idque verum⁵⁾ ita tamen constituebatur, ut res tanti, quanti venire potuerit, aestimaretur⁶⁾. Solis non dominis, quorum, rem non surripi, intererat, ad id, quod interest, agere, id est, lucrum, quo per rei ablationem ceciderant, persecui, permissum erat⁷⁾. In *condictione* vero *furtiva*, si fur rem furtivam cum omni causa restituere non poterat, eius aestimatio ita postulabatur, ut tempus, quo res unquam plurimi fuerat⁸⁾ licet cura et sumtibus furis creverit⁹⁾, itidem spectatum fuerit. Ab his iuriis Romani placitis hodie maximam partem recessum est. Etenim, praeterquam quod, cum omnis ex delicto satisfactio reipublicae debeatur, laesus sola rei suae restitutione conten-

4) Arg. §. 5. Inst. de Obl. qu. ex delict. nasc. §. 18. I. de action. 5) Arg. l. 50. init. D. de furt. 6) Arg. l. 52. §. penult. et ult. D. de furt. 7) Arg. l. 12. §. 2. l. 27. l. 46. §. 1. et l. 74. D. de furt. 8) Arg. l. 8. §. 1. D. de cond. furt. 9) arg. l. 15. D. de cond. furt.

tus esse iubetur, respicitur quidem ad verum rei furtivae pretium, sed hoc ipsum, non ex tempore, quo res plurimi venire potuit, sed ex eo, quo ablata fuit, aestimatur. Hinc sequitur, quod, si mercatori res quaedam fuerit ablata, pretium eius ex tempore emtionis potius, quam venditionis determinari debeat¹⁰⁾. Quae regula, ut satis certa est, ita alia, quae intuitu pretii constituendi, a doctoribus commendatur, dubitationibus quibusdam obnoxia esse videtur. Est autem haec regula huius tenoris: *pretium rei furto ablatae non ex lucro, quod fur habuit, neque ex damno, quod laesus passus est, sed ex vero eiusdem valore definiendum est*¹¹⁾. Licet quidem concesserim, nullam lucri, quo fur potitus est, habendam esse rationem, tamen non possum non dissentire in eo, quod negent, pretium ex damno, quod laesus incurrit, definiri posse. Potius non possum mihi temperare, quo minus in partes Soden¹²⁾ transeam. Praecipiunt enim juris criminalis doctores, in omni delicto et qualitatem et quantitatem attendi debere. Quodsi verum est, non video, cur in definienda furti simplicis poena verum rei pretium solummodo spectetur. Est quoque quidam eorum, quibus per furtum laesio erat illata, respectus habendus, idque maxime propterea, quod alias principia iuris criminalis, quae non id solum damnum, quod civitati, sed quoque damnum laesis datum perpendere jubent, negliguntur. Quare putaverim, ve-

10) Hommelii Rhaps. obs. 86 11) Ehrhards Handbuch des Chursaechsischen peinlichen Rechts Th. 1. Abschn. 2. §. 554. 12) In dessen Geist der teutschen Criminal-Gesetze Band 2. §. 122. p. 218. Dessau 1783.

rum rei pretium non unicam esse poenae infligendae normam, sed praeter id plura, in primis a persona laesi desumenda, considerari debere. Erat praeterea jure Romano, quemadmodum monui, permisum, ut non domini quibus res, quam possidebant, ablata fuerat, interesse persequi possent. Quaeritur, num id iisdem iure hodierno adhuc liceat? Videtur cum distinctione respondendum esse. Fac enim creditori pignoratio pignus furto esse ablatum. Hic si res furtiva ante, quam pignus debitori restitui debebat, reddi potuit, verum eius pretium attenditur. Non enim debtor plus juris in creditorem potuit transferre, quam ipse habuit. Si vero rei ablatione id fuerit effectum, ut debtor non, nisi redito pignore, crediti solutionem offerre voluerit, tunc creditor, id, quod interest, a fure, qui morae causa fuit, omnino exigere poterit. Alia plane sententia ferenda est, si ipse debtor in solvendo debito moram commisit. Quo in casu pignore per furtum ex creditoris custodia amoto, omnis creditoris obligatio quoad pignus ipsi imposita cessat, omneque periculum debitor ferre tenetur. Haec fere sunt, quae circa pretium rei furtivae dicenda mihi videbantur. Neque enim eo scripsi consilio, ut omnia, quae in hanc rem dici possunt, proferrem, sed ea tantummodo, quae aliqua commemoratione digna videntur, viris doctioribus proponerem.

Vt vero de pretio, de quo hactenus dixi, eo magis constet, eius aestimatio plerumque alicui committi solet. Quam in rem ita praecipiunt *Doctores: si res, quae in pecunia nume-*

rata non consistit furto ablata fuerit, pretium eius aut per iuratos taxatores, aut ab ipso domino jurejurando aestimari ac definiri debet. Distinguunt vero ita, ut rei extantis juratus taxator, illius autem rei, cuius copia haberi nequit, ipse dominus aestimationem iuratam faciat. Videamus primum de aestimatione a rerum peritis praestanda. Haec fieri debet judicialiter et coram personis judicium constituentibus, ac jurejurando confirmari debet. Ast enim vero, me saltem iudice, aliquis religionis abusus subesse mihi videtur. Iusiurandum praeter necessitatem non esse exigendum, vt in civilibus, ita quoque in criminalibus causis, verissimum est. Nihilo tamen secius accidit, vt in furto simplici, cuius de pretio per testes iuratos adeo constabat, vt de poena ordinaria furi imponenda nulla dubitatio superesset, praeter testium depositionem artis peritus adhibitus, atque id, quod coram judice protulerat, iuriurandi religione confirmatum fuerit. Quo ipso aut testium aut artis periti iusiurandum superfluum fit. Sed objiciunt: artis peritos testium vice fungi. Satis vero notum esse in criminalibus causis numerum testium arbitrio iudicis coarctari non posse¹⁵⁾, et, cum in posterioribus probatione liquidissima opus sit, judicem, quo de corpore delicti satis constet, ne artis periti quidem iudicium respuere debere. Sed quis non videt, id locum habere solummodo tunc, si corpus delicti aliunde non satis possit probari? In primis vero quod attinet ad artis peritos, cur ab iisdem iurata exi-

15) Arg. l. 1. D. d. test.

gatur aestimatio, non satis intelligo. Adhibentur quippe aliisque rerum non intelligentibus preeferuntur propterea, quod ipsos rei aestimandae scientiam habere, praesumtio adest. Quae praesumtio si tantam vim non habet, ut absque iureiurando pro arte perito militet; quid opus eius iudicio? Cur ni sic alii, quibus rei notitia inesse non praesumitur, dummodo, se rem ex fide aestimasse, juraverint, eodem iure ad id munus admittuntur? Neque enim ex iurisiurandi praestatione, sed ex eo, quod homines rei haud ignari ad aestimationem electi fuerunt, pretium furti est definiendum. Praeterea artis periti non, nisi vi muneris (Beruffs) quo inter cives suos funguntur, aestimant. Quod officium et hanc ipsis imponit obligationem, ut in negotiis, in quibus eorum iudicio opus est, ex bona fide agant, quippe qua omnis vitae societas continetur. Officii vero sui eo magis memores sint, necesse est, quoniam alias fidem, civitati, cui adscribi se patiuntur, per iusiurandum civicum promissam turpiter fallunt. Quo iureiurando nihil aliud continetur, nisi hoc: Civitas, cuius tu iam nunc membrum factum es, in te hanc collocavit spem, ut omnium saluti summo studio prospicias neque eidem unquam aduerseris. In primis vero tuum est, ut, quemadmodum in omnibus, quae inter te atque alios celebrantur, negotiis, ita maxime in iis, quae tui sunt muneris, ex bona fide et sine ulla fraudatione verseris. Quae cum verissima sint, artis periti, qui rei furtivae aestimationem vi muneris faciunt, quippe quod iurisiurandi promissorii religione iam tenentur, ad iuratam aestimationis a se factae asseveratio-

nem male coguntur? Et, si timendum est, ne in promissione fallant, quo, quae, modo sperabis, ut in iis, quae asseverant, ea, qua virum bonum decet, probitate jurent? Sed objicitur: quid? nonne notissimum illud est, *testi non, nisi iurato fidem haberi posse?* Quibus respondeo, artis peritum, nudi testis personam non sustinere. Atque omnino dictum brocardicum, hominum fidem quam maxime suspectam reddit. Etenim secundum illud, nemo est, cui sine jureiurando tuto fidere possis, atque ipsa natura humana a benigno eius auctore ita comparata esse videtur, ut nullus pudor neque fides inter homines cogitari posset, nisi promissa aequa ac asserta jurato confirmaverint. Igitur, cum non reperiantur, qui sponte fidem colant, omne ponunt solatium in jureiurando, quo ad societatem civilem continendam, nihil aptius, nihil melius, nihil divinus esse, sibi persuadere cupiunt. Ita profecto miserrima fuit et his temporibus foret rerum humanarum conditio, cum jusiurandum variis ex causis, partim ab usu eius in foro derivandis ¹⁴⁾ partim ingeniorum levitati, malitia, ignorantiae attribuendis, apud plerosque contemtum sit. Accedit his, quod Germanis nihil magis opprobrio esse possit, quam dictum brocardicum. Scilicet si satis digna sunt, quae apud Tacitum de majoribus nostris relata legimus, Germani, quamvis somno ciboque dediti, diem noctemque continuare potando nulli apud ipsos probrum, aliisque vitiis obnoxii fuer-

¹⁴⁾ cfr. Kohlschütter de caassis contempti iuris iurandi Vit. 1792.

rint, id tamen laudis accepere, quod tamquam gens non astuta, nec callida pectoris secreta aperuerint, et quid fallere, fallive esset, penitus ignoraverint. Et licet multi, Germanis hodiernis nescio quae vitia exprobrent, in eo tamen ad unum omnes conueniunt, fidem antiquam finibus Germanorum nondum exiisse¹⁵⁾. Laus haec a peregrinis tributa uti vera est, ita indigna esse videtur ipsis Germanis, qui, dum nemini, nisi iurato, fidem habeant, fidem suam ipsis suspectam reddunt. Denique si artis periti, rei furto ablatae, sed adhuc existentis aestimationem iupato facere obstringuntur, minus, quam iustum est, iudicio auctoritati tribui, puto. Artis enim peritus rem secundum commune eius pretium aestimat. Jam non est credendum, esse inter personas iudicium constituentes — cum praesertim Scabini adhibentur — qui nullam habeant rei surreptae notitiam. Hi vi numeris sui, quo omnium, quae ad reum cum convincendum tum defendantum conferunt, rationem habere debent, in rerum aestimationibus eadem, qua artis periti, diligentia uersabuntur. Sed satis dicta sunt de artis peritis, quos ad rerum furtivarum adhuc extantium pretium determinandum, tamen sine iuris-
jurandi necessitate, adhibendos esse, statuo. Neque tamen semper rerum extantium aestimatio artis peritis committenda est. Itaque per exceptionem quasi hanc formant regulam: *quoties res furto ablata adhuc existens utendo quoad pretium imminuta*

15) cfr. Gemaelde von Petersburg Th. 2. Abschn. 15. p. 485.

est, toties eius aestimatio domini arbitrio potius, quam soli artis peritorum iudicio relinquere debet. Caussa regulae latet in eo, quod, ut supra monui, verum rei furtivae pretium ex eo sit diiudicandum tempore, quo erat surrepta. Iam, si res corrupta est, quo pretio eadem constiterit, domino melius scire potest nemo. Quia in re domino, cuius copia est, soli competit aestimatio. Domino non existente aut de facta rei corruptione constat, aut non. Priori casu standum est iurata aestimatione eorum, qui rem corruptam esse, testantur. Posteriori autem casu communione rei pretium attendendum erit.

Quibus expositis, restat, ut de aestimatione rerum furtivarum non amplius existentium dicam. Haec in subsidium fit ab iis, quorum ex custodia res ablata fuit. Hi vero sunt vel domini vel non domini. De illis primo sermo erit. Domini quidem merito adiunguntur ad id, ut rerum, quas sibi ablatas contendunt, aestimationem iuratam praestent. Ipsi enim soli scire debent, quid sit ablatum, et quale rei ablatae statui debeat pretium. Sed, quoniam praeterea saepius accidit, ut aliquis rem sibi abreptam fingeret, quam nunquam habuit, iurisjurandi formula plerumque ad id simul extenditur et pronunciatur: *Würde N. N. die Richtigkeit und den wahren Betrag der erlittenen Deube annoch eydlich bestaerken, so ist etc. etc.* Necessitatem iurandi ex iure Romano deducunt, provocantes ad L. 9. Cod. unde Vi, ubi Zeno imperator ita rescribit: *Si quando vis in iudicio fuerit patefacta, deinde super rebus abreptis vel invasis, vel damno dato tempore impetus quaestio proponatur; si non potuerit, qui vim sustinuit, quae perdidit, singula comprobare, taxatione a iudice*

facta pro personarum atque negotii qualitate, sacramento aestimationem rerum quas perdidit, manifestet: nec liceat ei ultra taxationem a iudice factam iurare et quod huiusmodi iureiurando dato fuerit declaratum, iudicem condemnare oportet. Elucet vero ex ipsa lege, qua iusurandum, quod Zenonianum vocant, continetur, eius dispositionem ad furtum simplex non posse applicari. Quod ut ut sit, quaero solummodo, num iure Romano dominus ad iuratam aestimationem iure perfecto obligatus fuerit? Quae quaestio ita solvi poterit. Si dominus, instituta furti actione praeter simplum, poenam quadrupli aut dupli persecui volebat, quoniam nisi simpli aestimatio certa esset, poena definiri non poterat, pretium rei verum in subsidium iure quoque iurando confirmare erat obstrictus. Contra, si ipsi rem cum poena persecui animus non erat, cum furtum delictis privatis, quorum poena laesi arbitrio relinquebatur, neque reipublicae solvi debbat, accenseretur, nulla coactio locum habebat. Neque aliud olim in Saxonia receptum ~~fugit~~ videtur. Carpzovius certe ¹⁶⁾ tradit, si dominus iurare nolit, de pretio et aestimatione rei furto ablatae merito dubitari, ideoque iudicem ad poenam ordinariam pervenire non posse, sed furem extra ordinem esse puniendum. Hodie vero, postquam saniora de criminibus principia recepta sunt, dominus ad iurandum omnino cogi potest. Ita enim cautum est ¹⁷⁾: *Wenn der Be-*

16) In Pract. rer. Crim. p. 2. Qu. 78. n. 64. Nemes. Car. art. 216. 17) cfr. Geh. Instr. ad Gener. d. 27. 8bre 1770. §. 1.

stohne sich der eydlichen Bestärkung des Diebstahls weigert; und
selbige gleichwohl nöthig ist, so ist zu erkennen, dass er zur eyd-
lichen Eröffnung seiner Wissenschaft von dem Eigenthume der ge-
stohlenen Sache durch Zwangsmittel auzuhalten sey. Cuius loci
verba: *wenn* selbige nöthig ist coactionem conditionatam esse, satis
superque indicant. Olim quidem, si pretium rei furto ablatae
quinque Ducatos Hungaricos superabat, poena capitalis, non
praevio iureiurando, furi dictitabatur¹⁸⁾. Quo sublato, ho-
die iurata aestimatio in regula semper necessaria erit. Sunt
tamen casus, in quibus a dominis sine iniuria iusurandum exigi-
nequit. Quos cum et temporis angustia et fines scriptiuncu-
lae singulos adducere, vetent, aliquos, exempli caussa, laudasse,
sat habeo. Ita eum, qui propinquo proximo furtum remisit¹⁹⁾,
ad rei aestimationem iuratam cogi posse, non credo. Lex enim
ipsa ob necessitudinem, quae inter has personas intercedit,
poenae mitigationem suadens a rigore suo recessit, ac sanguini-
nis pudori aliquid tribuit. Qua de re in furto ab eiusmodi
personis commisso pleraque iudicis arbitrio reliquuntur, qui et
ipse interdum lege mitior esse solet. Praeter ea Quistorpius
l. c. censem in furtis parvis, quarum veritas iam ex Actis con-
stet, domino iureiurando supersedere posse, quod ego de
iis saltēm interpretor; in quibus poena ergastuli saltim imponi
nequit. Interdum quoque tunc dominis jurata aestimatio re-

¹⁸⁾ Quistorp in den Grundsätzen des deutschen peinlichen Rechts Th. I.
Abschn. 7. §. 354. Edit. 5. ¹⁹⁾ Ehrhard in Handbuch des Churs. peinlichen
Rechts Th. I. Abtheil. 2. §. 561.

mittitur, quando rerum sibi abiatarum non satis accuratam ipsi habeant notitiam. Quod accidit in iis, qui res suas in alios vel custodiae, vel securitatis caussa transtulerunt. Quam rem paucis adhuc verbis explicabo. Cum rei furtivae pretium secundum tempus, quo erat ablata, constitui debeat, non domini haud temere ad aestimationem compelli possunt, quia, quanti res tunc temporis constituit, domino melius scire possunt. Quapropter apud nos sancitum est ²⁰⁾: *Auch das ist für Diebstahl zu achten, wenn eine Sache aus dem Gewahrsam eines Dritten, der nicht Herr ist, entwendet worden ist, und dieser es eydlich bestärkt.* Neque dubitandum est ex rationibus supra positis non dominò quoque iurisiurandi praestandi necessitatem posse iniungi.

20) In der Bescheidung zur gehl. Instr. d. 2. Dec. 1770. §. 1.

Wolffinianum sive secundum hanc modum classificatum
et in forma annulari. Atque ab eo hunc. - annularium modum
modum. - deinde admodum simile illius modum. - quod etiam
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.
modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.

modum. - modum. - modum. - modum. - modum. - modum.

Kp 4448

VDAB



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches

46
Q V A E D A M
DE
UTVENDA IN FVRTO SIMPLICI
PORIS DELICTI CERTITVDINE.

O SALOMONI ZACHARIAE

A. A. M. E. I V R. V T R. C A N D I D A T O

V I R O

S I M O, C O N S U L T I S S I M O, A M P L I S S I M O,
D O C T I S S I M O,

C O G N A T O L O N G E A E S T V M A T I S S I M O
O R I A T Q V E A M I C O H O N O R A T I S S I M O

S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S

I N A C A D E M I A V I T E B E R G E N S I

X X X. M. J V L: C I O I O C C X C V.

R I T E C A P E S S E N T I
E X A N I M O G R A T V L A T V R V S

S C R I P S I T

F. E.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A S O M M E R I A.

